

1. Conclu-  
sio.

Dicendum primo: Logica non continetur sub vna Philosophia generali communi ad scientiam realem & rationalem: hanc est apud probatissimos Scotistas recepta: & patet, nam enti reali, & rationis, secundum illos, non datur vnus conceptus vniuocus communis: ergo nec vna scientia, quae de tali conceptu tractet, ergo nec quod sit communis scientia reali, & rationali:

2. Conclu-  
sio.

Dicendum secundo, Logica sub scientia rationali large sumpta totinetur. Hanc videtur esse Doctoris in tertio dist. 34. quaest. vnica lit. D. vbi ait habitum speculatiuum diuidi per realem, & rationalem; & realem rursus in Metaphysicam, Physicam; & Mathematicam; & rationalem in varias species sed vna illarum est Logica: ergo logica continetur secundum Doct. sub habitu speculatiuo rationali in communi, qui est scientia rationalis large sumpta, quam astruimus.

QVÆSTIO II.

Verum Logica sit scientia communis.



VERITVR vtrū Logica sit scientia communis: quod nō videtur quia communitas scientiæ est à communitate subiecti: subiectum autem Logicæ distinetur est à subiectis aliarum scientiarum, ergo, &c.

Ad oppositum arguitur per Boetium: Logica est de secundis intentionibus applicatis primis: illæ autem sunt communes, & applicabiles omnibus primis.

Dicendum, quod scientia dicitur communis à subiecto: potest igitur intelligi communis: vel quia subiectum eius est prædicabile de subiectis aliarum scientiarum: vel quia eius subiectum cadit in vsum omnium aliarum scientiarum. Primo modo nō est communis Logica, nisi forte per accidens. Si subiectum eius sit applicabile omnibus alijs scientijs secundum modo: Logica est communis: quia omnes scientiæ vtuntur syllogismo, & alijs, de quibus est Logica.

Summa textus.

Soluta iam quaestione prima de quidditate Logicæ secundum se, aggreditur Doctor quaestione secundam de Logica in ordine ad alias scientias, inquirens in ea, vtrum sit scientia communis, vel specialis? &

quia communitas in scientia sumitur ab obiecto: hanc etiam sumitur veritas extrinseca: ideo vnicam apponit distinctionem dicens: quod subiectum Logicæ potest dici commune respectu subiectorum aliarum scientiarum: vel quia prædicatur de illis: vel quia est illis applicabile: nec est, adiuuat ad illorum scientiam cognitionem: qua distinctione præmissa.

Dicit primo; si communitas sumatur à subiecto ratione prædicationis; Logica non est per se scientia communis; id est, obiectum Logicæ nō prædicatur per se de obiectis aliarum scientiarum: bene tamen Logica est per accidens scientia communis.

Primam partem huius conclusionis probat argumento posito pro parte negatiua: quia obiectum, quod distinguitur ab obiectis aliarum scientiarum, non potest de illis prædicari: quam etiam partem expresse tenet, 1. Post. quaest. 43. & primo Elenchorum quaest. 1. vbi probat Logicam esse scientiam specialem: quia eius obiectum non prædicatur de obiectis aliarum scientiarum; vt patet.

Secunda pars multis difficultatibus ingessit: quare Dominus Mauritius putat obiectum Logicæ in se prædicari per accidens de obiectis aliarum scientiarum, ita vt ly, prædicabile sit idē, quod applicabile illis: vnde infert, in textu ita legendum esse. Primo modo non est communis Logica, nisi forte per accidens, si subiectum eius sit applicabile omnibus alijs scientijs. Ita vt huius clausulæ punctus ponatur ibi: omnibus alijs scientijs; & non ibi: nisi forte per accidens: sicut nos ponimus. Sed salua reuerentia tanti viri; melius legimus cum Domino Sarnano, & alijs: de ita ly, per accidens refertur, non ad obiectum Logicæ in se, sed ad incompleta, ex quibus habet fieri tale obiectum: quia quodcumque obiectum aliarum scientiarum habet denominari subiectum, prædicatum, vniuersale, superius, &c. ratione quorū obiectum Logicæ potest per accidens, id est, per aliud, de obiectis aliarum scientiarum prædicari: & ita Logica potest etiam per accidens scientia communis appellari.

Secundo dicit: si communitas sumatur ab obiecto, ratione applicationis, Logica est scientia communis: probatur: nam syllogismus est applicabilis omni scientiæ, tam secundum se quam secundum reducibilia ad ipsum; eo quod omnis scientia indiget illis pro veritatis inquisitione: igitur.

Nota tamen pro illis, quæ docuimus quaest. precedente Artic. 2. not. 2. quod licet Logica dicatur scientia communis; non ideo ab hac communitate habet esse scientiam, nec Logicam Doctorem appellari: nam hoc illi (vt vidimus) alim de prouenit: sed solum habet ab hoc appellari Logicam vtentem: quia hæc communitas solum consistit in applicatione sui obiecti ad acquisitionem aliarum scientiarum. Quare Doctor non loquitur hic tantum de parte topica, quæ regulariter dicitur vtens, & communis, quia vtitur medio communi: sed loquitur de Logica quo ad omnes eius partes, pro vt in vsum aliarum scientiarum cadunt, applicando eis sua obiecta.

1. Conclu-  
sio.

2. Conclu-  
sio.

ARTIC. I.

An Logica sit ab alijs scientijs realiter distincta.

1. Sententia.

Prima sententia est omnium fere Græcorum, quos sequitur Zabarella lib. 1. de natura Logicæ cap. 5. asserentium Logicam non esse distinctam à scientia illa, cui applicatur, sed esse idem realiter cum illa: seu potius esse eandem scientiam, cui applicatur. Quam sententiam probant. Primo, Logica applicata Philosophiæ naturali est Philosophia naturalis: quia nihil aliud est Philosophia naturalis, nisi congeries quædam syllogismorum, & propositionum in rebus naturalibus formatarum: ergo, si Logica est scientia, nihil aliud est, nisi illa facultas cui applicatur.

2. Argum.

Secundo quælibet scientia postulat peculiare obiectum, circa quod versetur, ex 4. Metaph. tex. 1. sed logica non habet determinatum obiectum ex 1. Post. ca. 12. vbi dicitur: Dialecticam non esse aliquorum diffinitorum; nec alicuius generis: & ex 4. Metaph. tex. 5. vbi asseritur Dialecticam disputare de omni ente: ergo non est scientia ab alijs distincta.

2. Sententia  
Doctoris.

Secunda sententia, & opposita precedenti, est communis, cum Doctore locis Artic. precedente citatis, in quibus explicat quoniam modo Logica sit scientia communis, & specialis. Vnde dicendum: quod Logica est scientia ab alijs realiter distincta: probatur: habitus (licet mediate) distinguuntur per obiecta: sed obiectum Logicæ est sufficiens ad causandum, & terminandum cognitionem realem (scientificam) distinctam realiter à cognitionibus aliorum obiectorum, siue realium, siue rationis: igitur. Minor quoad rationem causandi probatur: nam ens rationis Logici fundamentaliter potest mouere intellectum ad se ipsum formaliter sumptum intelligendum: vt infra latius patebitur, &c.

Conclusio.

De ratione terminandi etiam patet: quia ens rationis habet quidditatem distinctam, & sufficientem, ad talem cognitionem terminandam; quin obiecta aliarum scientiarum illam terminent: quando enim cognosco syllogismum, non est opus cognoscere simul ens mobile, vel ens reale, eadem cognitione: imo nec alia distincta, igitur, &c.

Ad primū.

Ad argumenta: ad primum nego antecedens: nam quamuis illa scientia, cui Logica applicat suū obiectum, possitaliquomodo dici scientia pro materiali, quia scilicet tribuit materiam, cui tale obiectum applicetur: non tamen potest Logica formaliter appellari: quia nec obiectum applicatum, nec cognitio talis obiecti, quæ applicationem antecedit, possunt dici scientia, cui applicantur: patet de primo: nam instrumentum nunquam fit illa res, cui inseruit: gladius enim non fit lignum, quod secatur: ergo nec syllogismus, qui instrumentum scientiarum dicitur, fit formaliter scientia illa, cui deseruit.

De secundo non minus liquet: nam semper

talis cognitio, quæ antecedit applicationem syllogismi, est Logica Docens, quæ licet, vt iam ad construendos syllogismos in alijs scientijs, talis vsus, cum sit illi accidentalis, & extrinsecus non extrahit ipsam à sua natura, sed semper in suo esse remanet distincto.


Ad secundum.

Ad secundum dico primo, Aristotelem loqui ibi de Logica tantum secundum partem topicam, quæ cum præcedat ex medio communi, in singulis scientijs infert proprias conclusiones: & ideo dicitur non habere genus determinatum.

Secundo potest dici: minorem esse falsam: nam obiectum Logicæ absolute, & secundum se consideratum, est vnum determinatum: licet quatenus sumitur in ordine ad aliud, sit commune per applicationem: & in hoc sensu intelligitur Philosophus, dum ait Logicam non esse vnius generis determinati: quia eius applicabilitas passua omnium scientiarum obiecta respicit.

ARTIC. II.

An Logica sit necessaria ad alias scientias comparandas?



Via ex quaestione precedente patet duplicem esse Logicam: naturalem, & artificialem: & aliqui existimant ad alias scientias comparandas solum sufficere, & esse necessariam, Logicam naturalem sine artificiali: alij vero opinantur non sufficere primam, sed secundam simpliciter necessariam esse: ideo præfens Articulus disputatur: in quo duplex circumfertur principalis sententia. Prima est landuni 2. Metaph. quaest. 2. cui subscribit Fonseca ibidem capit. 3. quaest. 4. sect. 2. asserens Logicam non esse simpliciter necessariam ad alias scientias comparandas, & conseruandas: sed tantum secundum quid; & ad melius, seu facilius esse: & probatur primo, illud est simpliciter necessarium ad scientias, sine quo ipsæ nequeunt acquiri: sed sine habituali Logica possunt acquiri: ergo Logica nō est simpliciter necessaria ad illas: minor probatur: nam ad habendam scientiam in Metaphysica huius veritatis: homo est sensibilis: sufficit cognitio Principiorum, & bonitatis consequentia: sed hæc duo sine Logica artificiali, cum naturali tantum, haberi possunt: nam omnne rationale est sensibile; omnis homo est rationalis: pertinet ad habitum primorum Principiorum: & bonitas consequentia in Barbara, vel in Darij etiam pertinet ad eundem habitum, qui solo lumine naturali generatur: ergo.

1. Sententia.

2. Argum.

Secundo, quædo Rustico explicatur hæc præmissa: Omne totū est maius sua parte: homo est totū, & manus est pars: statim infert lumine naturali: homo est maior manu. Sed talis est Assensus certus, & ex præmissis causatus, ergo est scientificus: & per consequens intentum.

Secunda & opposita sententia asserit, Logicam esse simpliciter necessariam ad acquisitionem, & conseruationem omnium scientiarum. Ita communiter Thomistæ. Soto quaest. 1. prooem. Albertus in prædicabilibus cap. 3. Nauarrete,

2. Sententia.

part. contraria. & alij: qui quidem diuidentur in tres modos dicendi. Soro enim vult ita esse simpliciter necessarium; vt nec vnica conclusio, sine illa, adhuc in esse imperfecto, possit acquiri: Sanchez vero ait, vnam, vel alteram conclusionem posse, sine logica in esse imperfecto, acquiri; non tamen omnes. Nauarrete tandem affirmat reliquas scientias posse in ratione habitus sine logica acquiri, non tamen in ratione scientia: sicut virtutes possunt manere sine charitate in ratione habitus, non tamen in ratione virtutis: sicut enim charitas est forma virtutum sic logica est forma scientiarum. Pro intelligentia autem huius Articuli, & aliquali concilio horum Doctorum.

1. Notam.

Notandum primò. Quod necessarium, vt opponitur contingenti, est duplex: complexum, & incomplexum: complexum, sunt propositiones primi, & secundi modi, quæ non possunt non esse veræ: incomplexum adhuc est duplex: aliud absolutè, simpliciter, & independens, & est solus Deus, qui non potest non esse: aliud est, quod licet respectu Dei possit dici contingens, seu necessarium secundum quid, secundum se tamen est verè necessarium; & est illud, quod potest non esse secundum esse, quod habet, & communiter dicitur necessarium ex suppositione: & est quadruplex secundum quatuor causarum genera. Necessarium à causa efficiente est, quod non potest non produci à tali causa, vt lux à sole: necessarium à causa materiali est, quod non potest non esse ratione materiae, vt coelum, quod non potest recipere aliam formam: necessarium à causa formali est, quod non potest non esse ratione formæ, vt risibile respectu animæ rationalis, qua posita in corpore, necesse est, vt risibile resultet: necessarium tandem à causa finali est, quod non potest non esse ratione finis: id est, quia sine illo finis obijneri nequit: & est duplex: vel necessarium ad esse simpliciter; vt eibus ad vitam conferuendam: vel ad melius esse vt equus ad iter agendum. Et de hoc vltimo necessario intelligitur Articulus: an scilicet logica sit simpliciter necessaria: an tantum ad melius esse, ad alias scientias adipiscendas?

2. Notam.

Secundo notandum. Quod scientia aliqua dupliciter comparari potest, vel in esse perfecto, vel in esse imperfecto: & vtroque modo adhuc dupliciter: nam vel tunc comparatur in esse perfecto, quando sciuntur omnes conclusiones, quæ in ea sciri possunt: vel est non omnes comparatur, & sciuntur tamen modo scientifico illæ, quæ iam sunt acquisitæ: comparatur autem scientia in esse imperfecto, vel quando non omnes conclusiones, quæ in ipsa sciri possunt, sciuntur: etiam si scientie sciat illæ, quæ iam sunt acquisitæ: vel quando sciuntur aliquæ, vel omnes conclusiones sine modo scientifico, hoc est, quin sciens sciat soluere ipsas in sua principia, nec sciat se demonstrare.

3. Conclus.

Dicendum primò. Logica non solum ad melius esse: sed simpliciter est necessaria ad acquirendas alias scientias: hæc est contra Auctores primæ sententiæ: & probatur: ad habendam perfectam scientiam, non solum requiritur, firmi-

tas, & necessitas obiecti, sed vltra firmitas ex parte potentie; vt sine formidine, præmissis, & conclusionibus modo scientifico assentiatur: sed hoc non potest facere intellectus sine logica artificiali: igitur talis logica non solum secundum quid, sed simpliciter est ad hoc necessaria. Maior est certa: quia intellectus debet esse causa completa in suo genere, vt cum obiecto cognitionem scientificam producat: debetque habere firmitatem ex parte suâ: aliter enim non scientiam, sed formidinem pareret: minor etiam constat: nam logica non solum facilitatem, sed modum scientificum tribuit: vt ex dictis, patet. Igitur, &c.

Secundo sciens debet necessario demonstrare per diffinitionem inherentiam passionis de subiecto: sed scire diffinitionem esse veram, non potest esse sine logica; vt ab omnibus conceditur. Ergo. Videatur Araujo 2. Metaph. quæst. 3. art. 3. concl. 1.

Dicendum secundò. Sola logica naturali, possunt conclusiones aliquæ, imò & omnes aliarum scientiarum, in esse imperfecto acquiri, non tamen in esse perfecto, & scientifico. Hæc conclusio quoad vtranque partem conciliare videtur Auctores secundæ sententiæ: Magister enim Soto, & Nauarrete tantum secundam partem astrunt: Sanchez vero tantum primam; quæ probatur: nam ad acquirendum tales conclusiones in tali esse imperfecto, sufficit cognitio absoluta earum obiectorum, siue talis cognitio habeatur per prima principia naturaliter notata: siue per experientiam, vel alio quouis modo; dum modo non sit scientifica: sed talis cognitio potest haberi sine logica artificiali, cum sola naturali. Igitur: Secunda pars patet ex conclusione prima.

Ad argumenta contrariæ sententiæ respondetur. Ad primum nego minorem: nam ad scientificam illam conclusionem cognoscendam requiritur cognitio modi soluendi illam in sua principia, quam sola logica tradit, & sine qua impossibile est haberi.

Ad secundum, quod cognitio illa, qua cognoscit Rufficus totum esse maius sua parte, non est scientifica; sed talis propositio cognoscitur imperfectè: & idem dico de quacunque alia veritate, ab illo, vel ab alio, sine logica artificiali, cognita; quod erit cognitio, vel fidei, vel opinionis, vel quædam cognitio absoluta entis; non tamen erit cognitio scientifica: quia talis sine logica haberi nequit.

Et per hoc patet ad omnes replicas, quas conficit nouiter P. Barnabas Gallego de Vera in fauorem sententiæ Soro: scientia enim in esse imperfecto, non dicitur verè scientia: & ita non habetur modo scientifico: & ita tantum secundam partem secundæ conclusionis probant.



ARTIC. III.

An Logica sit ante alias scientias ad discendas.

In hoc articulo non solum agitur à multis, de acquisitione Logicæ in ordine ad alias scientias; sed de ipsa acquisitione omnium scientiarum inter se, quem scilicet, ordinem prioris, & posterioris, in sui acquisitione seruare debent: caeterum nos de Logica tantum disputabimus: & quod nullatenus ante alias scientias comparari debeat; sit primum argumentum: obiectum Logicæ non potest prius cognosci, quam obiecta aliarum scientiarum, maxime realium: ergo nec Logica debet illis prius acquiri. Consequentia patet: & antecedens probatur: obiectum Logicæ est ens rationis: & obiecta aliarum scientiarum sunt entia realia: sed ens rationis non potest prius cognosci ente reali: vt infra videbimus, & apud omnes est in confesso, igitur, &c.

1. Argum.

Secundo grammatica est prior logica: ergo primo est addiscenda.

Tertio à facilioribus est nobis incipiendum; & non à difficilioribus; ex primo Physicorum. Sed logica est alijs scientijs difficilior: cum versetur circa actus interiores, qui sunt difficiliores actibus, circa quos alia scientia versantur: ergo.

Vltimo, species alicuius generis sunt simul natura: ex cap. de simul: ergo logica, cum sit species scientiæ, non erit alijs prior.

Notandū.

Pro intelligentia notandum quod ordo inter scientias desumitur ex ordine obiectorum: vnde cum duplex sit inter obiecta scientiarum ordo, alter dignitatis, & alter acquisitionis: ita vt illud sit prius, quod est dignius; vel quod prius scientificè acquiri, sciri, seu inueniri debet; inde fit: vt duplex iste ordo inter ipsas scientias obseruari debeat: ita vt vna sit alia dignior; vel prius acquirenda modo scientifico, & demonstratiuo: & hoc secundo modo adiuu dupliciter; vel simpliciter; ita vt alia scientia non possint acquiri, ipsa prius non acquisita; vel ad melius esse; ita vt alia scientia ab illius acquisitione aliquo modo pendeant.

1. conclus.

Dicendum primo, ordine dignitatis logica non est dignior scientijs realibus; bene tamen scientijs rationalibus. Hæc est communis: & quoad primam partem patet: nam quodlibet ens reale dignius est, & excellentius digniori & excellentiori ente rationis, igitur, &c.

Secunda pars est etiam manifesta: nam obiectum logicæ est excellentius alio quocumque ente rationis: ergo & logica erit dignior alijs scientijs rationalibus.

2. conclus.

Dicendum secundo ordine doctrinæ, acquisitionis, seu generationis scientiarum, logica primum obtinet locum: ita vt prius ante alias acquiri debeat. Hæc est communis, vel scilicet talis esse debet: nam Eustratus in primo Ethicorum, & Diogenes, asserentes Philosophiam moralem esse inchoandum, Panætius vero à Philosophia natura-

lis: ac de nique Plato à Mathematica: non in hoc sensu sunt loquuti; & ideo nostræ non aduersantur conclusioni: quæ ex Articulo præcedente probata manet: & eam diffuse probat Araujo, vt supra Artic. 4.

Dicendum vltimo: quælibet scientia scientificè acquisita, per acquisitionem Metaphysicæ; imò & alterius cuiuslibet scientiæ, perficitur; & roboratur, meliusque se habet. Hæc etiam debet esse communis: & secundum illam debet intelligi Fonseca 2. Metaphys. cap. 3. quæst. 5. sect. 4. & 5. asserens ordine exquisita doctrinæ prius Metaphysicam, quam logicam acquiri debere: nam aliter falsum putat: & de Metaphysica probatur conclusio: quia cum sit sapientia habet iudicare de principijs aliarum scientiarum, illa explicare, defendere, & roborare: sed intellectus, qui iudicat, explicat, & defendit Principia, perfectius adhæret conclusionibus, perfectiusque illas iudicat, & cognoscit: quia perfectius earum causas cognoscit: ergo, &c.

Vltima conclus.

De alijs etiam scientijs constat: nam intellectus vno habitu scientifico informatus facilior redditur, vt aliud obiectum scientificè cognoscatur: quia vna scientia alteram non destruit, sed adiuvat; vt experientia constat, igitur, &c.

Ad argumenta, ad primum quod tam ens reale, quam rationis dupliciter cognosci possunt: vel cognitione simplici, & incomplexa: vel cognitione complexa, discursiua, ac scientifica: primo modo verum est antecedens, & de tali procedit argumentum: secus secundo modo: nam, vt sic, prius debet cognosci obiectum logicæ, quam obiecta aliarum scientiarum.

Ad primū.

Ad secundum distingo antecedens: grammatica imperfecta, quæ in autoritate consistit, constatque ex aliquibus præceptis imperfectè acquisitis, est prior logica: concedo: grammatica vero perfecta, quæ verè scientia rationem induit; nego antecedens, & consequentiam.

Ad secundū.

Ad tertium multipliciter respondeo, primo quod à facilioribus est incipiendum, nisi ordo doctrinæ aliud postulet, vt accidit in proposito, secundo dico: quod Maxima non intelligitur de acquisitione scientiarum; sed in cognoscendis naturis communibus. Tertio potest dici: quod et si intelligatur in proposito: non est in ordine vnus scientiæ ad aliam; sed in ordine vnus partis scientiæ magis notæ ad aliam minus notam. Tandem dicendum: quod alia scientiæ non sunt faciliores logicæ; si intellectus logica careat; bene tamē si illa est iam informatus, quia tunc faciliores sunt illi, eo quod est iam assuetus, & habet modum sciendi, quo facilius acquiruntur: quare semper logica est primo addiscenda.

Ad tertium.

Ad vltimum distingo antecedens: sunt simul natura: pro vt ad suum genus comparantur; concedo: pro vt mutuo se se respiciunt; & ratione suorum obiectorum, à quibus in esse scientiarum causantur: nego antecedens: nam vt sic logica est prior.

Ad vltimū.

ARTIC. III.

In quo genere causa Logica ad alias scientias concurrat?

1. Nota. Namquam sit aliquorum opinio logica ad alias scientias concurrere tanquam dirigentem; & veluti artem, ad cuius regulas respiciens Artifex operatur; nihilominus quia in hoc nullum disidium esse inter Auctores existimor, sed omnes convenire debere logicam concurrere cum alijs scientijs efficien- tibus ideo nota dum primo quod, quia ab obiecto scientifico, & ab intellectu, ut à duabus causis partialibus vnam totalem integrantibus, pari debeat scientia: sicut obiectum esse est aptum pariendi scientiam; ita etiam intellectus in suo esse debet esse constitutus; ut possit tanquam causa scientifica, modo scientifico, ad eandem scientiam concurrere: quare cum ex se non sit in potentia proxima; ut possit esse talis causa partialis scientifica; indiget aliquo sibi addito, quo in tali esse causæ constituitur: & tale additum est habitus logica Artificialis; de quo querimus quomodo ad talem scientiam concurrat.

2. Nota.

Secundo notandum, ex Doct. in 4. diff. 1. q. 5. h. 1. quod instrumentum quadrupliciter accipitur primo modo large & communissime, & hoc modo causa secunda in ordine ad primam potest dici instrumentum: secundo modo sumitur pro parte, per quam aliquod totum agit; & in hoc sensu Aristoteles organa potentiarum instrumenta appellavit: tertio modo accipitur pro causa activa dispositiva; & sic calor respectu formæ ignis in ligno inducendæ dicitur instrumentum ignis; ultimo sumitur pro illo, quod recipit motionem, sine qua non fieret actio, sicut contingit in instrumentis Artium: nam si securus non reciperet motionem ab agente principali, non scinderet; omnia igitur hæc instrumenta habent aliquid commune; nempe quod omnia agunt, concurrente ad actionem principali agente; ita ut si agens principale non concurrat, nec instrumenta possunt aliquid respectu illius agere: unde quando habitus logica appellatur causa instrumentalis aliarum scientiarum sumitur instrumentum tertio modo tantum.

3. Nota.

Pro quo notandum ultimo: quod instrumentum tertio modo acceptum non dicitur concurrere ad effectum principalis agentis, per subordinationem virtutis ad virtutem; hoc est, ut simul cum causa principali eundem effectum producat subordinae; ut accidit in creatura, & Deo: sed dicitur concurrere ad effectum illum per subordinationem effectus ad effectum: hoc est, quia ut agens principale suum effectum producat, necessario prærequiritur effectus ab instrumento productus: non quod tale instrumentum principalem effectum producat; sed quia eius effectus disponit: ut agens principale effectum principalem attingat. Exemplum patet in alteratione & generatione; nam alteratio non attingit effectum

generationis: sed solum disponit subiectum: ceterum quia agens principale utitur ista alteratione, subordinando illam ad generationem; dicitur alteratio concurrere ad generationem per subordinationem effectus ad effectum; quia effectus ille necessario prærequiritur ad istum: & hoc modo in proposito philosophandum est; nam actus aliarum scientiarum tantum ab intellectu, & ab obiecto causantur: ceterum quia intellectus non potest scientificè agere: utitur instrumento scientifico ab habitu logica producto; quod est effectus subordinatus effectui, & actus aliarum scientiarum. Pro quo vide Arculum sequentem.

Dicendum: logica concurrat efficienter instrumentally per subordinationem effectus ad effectum, ad acquisitionem aliarum scientiarum. Hæc est doctrina Scotica conformis; & probatur: logica concurrat efficienter ad actus aliarum scientiarum: sed non concurrat, ut causa secunda cum prima: quia tunc omnes illi actus essent logicæ: nec ut instrumentum, secundo modo acceptum: quia logica non est pars respectu intellectus: sed causa in suo genere adæquata: nec ut instrumentum, quarto modo, quia tale nullam actum habet: igitur concurrat efficienter instrumentally tertio modo. Maior, in qua est difficultas, probatur: intellectus cum alijs scientijs diffinit, & demonstrat ergo talis cognitio diffinitionis, & demonstrationis, qua cognoscit se diffinire, & demonstrare, debet ad aliqua causa produci: sed non produciatur à scientijs illis; quia illæ tantum produciunt actus similes illis, à quibus fuerunt genitæ, ergo necessario ab habitu logica produciunt.

Conclusio.

ARTIC. V.

An logica concurrat ad alias scientias, ut Docens; vel ut Vtens?

Pro præcedentis Articuli pleniori intelligentia, movetur præfens difficultas: & quia si bene intelligatur nulla potest esse inter Doctores controuersia; ideo sine argumentis notandum: quod intellectus cum obiecto, seu cum habitu Metaphysicæ, verbi gratia: dupliciter logica uti potest: vel construendo demonstrationem ex terminis presentatis, absque consideratione aliqua bonitatis, & naturæ ipsius demonstrationis; & quia consideret se actualiter demonstrare; vel non demonstrare; vel utitur logica cognoscendo diffinitionem, quam pro medio assumit, esse legitimam diffinitionem in se; & cognoscendo naturam demonstrationis, diffinitionem syllogisticam, ac tandem sciendo se demonstrare: si primo modo logica utatur, tunc logica tantum habet applicare obiectum suum; & modum sciendi terminis propositis: verbi gratia apprehensis ab intellectu Metaphysici, his terminis; homo animal rationale: & risibile: & volens demonstrare hominem esse risibilem: simul cum habitu logica componit ipsos hoc modo; animal rationale est risibile. Homo est animal rationale. Ergo homo est risibilis: ad quod demon-

Notand.

demonstratiuam cognitionem; licet obiectum, & habitus Metaphysicæ efficienter concurrant: quia Metaphysicus considerat quidditates Principiorum: ad modum tamen compositionis syllogisticæ, & ad ordinem, & dispositionem terminorum, solum concurrat logica cum intellectu: & logica pro ut sic concurrens dicitur logica vtens, id est applicans, & disponens terminos in forma præmissarum absque cognitione expressa talium præmissarum, & talis dispositionis: & secundum hunc modum, qui dicitur scientificus, concurrat logica ad alias scientias acquirendas per subordinationem effectus ad effectum.

Si vero intellectus utatur logica, secundo modo: tunc logica concurrat, ut Docens; & ita actus elicitus est formaliter actus logica, & termini illi metaphysici pure materialiter se habent; & Metaphysicus resoluens conclusionem in principia, non ut Metaphysicus, sed ut Logicus resoluens: quod non accidit, quando logica concurrat, ut vtens; nam tunc nulla elicitur cognitio circa modum sciendi; sed solum intellectus construit talem modum, qui est quidam effectus subordinatus, quo medio habitus Metaphysicæ eliciat suos actus scientifico modo.

Conclusio.

Dicendum: logica ad acquirendas alias scientias concurrat ut vtens, est Doct. in presenti: & 4. Metaph. text. 5. in fine: & probatur: logica, ex præcedentibus, ad acquisitionem aliarum scientiarum concurrat: non ut Docens: ergo ut vtens: probatur minor: ut Docens tantum sistit in consideratione sui obiecti: ergo ut sic non concurrat ad alias scientias: ergo concurrat ut vtens: patet antecedens, ut docens est vere speculativa: ergo, si cut quilibet scientia speculativa sistit in consideratione sui obiecti; quin, ut sic, altera ad alteram ordinetur: idem de logica; pro ut speculativa, & Docens est; dici debet. Alia argumenta pro hac conclusione roboranda videantur apud Magistrum Sanchez quæst. 3. proœmialium.

ARTIC. VI.

An logica ut vtens, concurrat ad sui acquisitionem in esse Docentis?

1. Argum.

Pro parte negativa sit primum argumentum: ad acquisitionem scientiæ in esse perfecto requiritur logica, ut scies sciat se scire: Sed prima conclusio scita in logica est vere scientia: ergo ad sui acquisitionem requirit aliam priorem; quia sciat sciens eam in sua Principia resolvere: & de illa alia idem conficio argumentum: & sic de alijs usque in infinitum: donec concedatur aliquam conclusionem scientificam posse obtineri sine logica, contra superior determinata, & cum ante illam non sit logica vtens, sequitur intentum.

Secundo, logica vtens præsupponit formalitatem Docentis: ergo logica, ut vtens, non potest concurrere ad illius acquisitionem: patet consequentia, quia posterius, ut posterius, non potest causare prius, ut prius.

Dicendum: logica, ut vtens, non concurrat ad sui acquisitionem in esse docentis; hæc debet esse communis: & probatur duplici argumento præfatis; quorum vis sic in materia explicatur: nam cum logica sit quædam dispositio instrumentalis ad scientias acquirendas, tantum hoc munus exercebit respectu aliarum scientiarum, non vero respectu sui ipsius; & ratio est: quia dispositio respectu alterius à se distincti debet attendi: non vero respectu sui ipsius; & cum logica, ut vtens, sit talis dispositio, & hæc ex necessitate præsupponat logicam Docentem, inde fit: ut ad hanc non possit concurrere: unde quando diximus supra; & optime probat primum argumentum; logicam esse simpliciter necessariam ad acquirendam quamcunque scientiam, etiam quoad primam conclusionem; ac per consequens esse etiam necessariam respectu sui ipsius: intelligendum est, respectu illius scientiæ, cuius præmissæ non continent virtualiter scientificam cognitionem demonstrandi, & resoluendi; qualis est omnis alia à logica; quia hæc in prima sui conclusione, quæ acquiritur, habet præmissas, quæ continent virtualiter scientificum iudicium demonstrandi, & resoluendi; & ideo ipsa conclusio: pro ut in talibus præmissis continetur: est ratio dispositionis ad sui generationem extra tales præmissas: & hæc est potissima ratio: quam desumpsit ex Araujo supra Art. 3. in fine. Quare relinquendus est dominus Tataricus, alias doctissimus, q. 1. proœmial. dub. 2. asserens primam logicæ conclusionem acquiri per logicam naturalem vsualem; nam si loquitur de eius acquisitione in esse perfecto, & scientifico, falsum est, ut iam vidimus.

Conclusio.

QVÆSTIO III.

An syllogismus sit obiectum logica?



VERITUR de subiecto logica; an sit syllogismus? quod non videtur: quia omnis scientia est per syllogismum: si ergo de syllogismo sit scientia: hoc erit per syllogismum, quod falsum est. Tum quia syllogismus, de quo querit scientia, est ignotus: syllogismus autem per quem habetur scientia est notus: nam per ignotum, nihil scitur. Tum quia quæro de syllogismo, per quem habetur scientia: aut de illo est scientia: aut non: si non: pari ratione de syllogismo in communi: quia quod scitur de communi scitur de quolibet